MENSA in MANES
Turbato Literarum & Epularum Ordine
VERSA
LEONTIO Italiæ Comiti,
Machiavellum & Atheum Sapienti,
ante Triduanas Carnisprivij Mensas
ad Cautelam
PROPOSITA.

Ab Illustrissima, Perillustri, ac Magnifica Oratoria Juventute Universitatis Vilnensis Soc: JESU.

Anno Domini 1736. Die 11. Februarij.

FUNDAMENTUM.

LEONTIUS Perillustri Stemmate Oriundus Juvenis, magnarum Opum Hæres, dignitate Comes, Machiavelli primò Discipulus, tum Atheus ab Osseo Conviva in Hilariorum locum per vim irrumpente (cujus paulò antè Calvariam in via offendens & calce protrudens Mensæ suæ adesse jusserat) terræ allisus *P. Michäël Pexenfelder Parte 3. Hist:* 140.

PROLOGUS.

Genius Leontii mortis invisæ excutit memoriam, incutit Mensa circumsessa Manibus Anacreontis uvâ passâ, Columnæ prægustata ficu, Fabii haustô in lacte pilô extinctorum.

PARS Prima.

SCENA I. Leontius Dynasta Italiæ, & Machiavellus à Secretis Florentiæ, Discipulus ille, hic Præceptor Pseudopoliticus inter pocula & ludum Tesserarum, illam quoq; *Ede! bibe! lude! post mortem nulla Voluptas* Epicuri Tesseram jactant, Principe adventante in posterum disputandam reijciunt.

SCENA II. Princeps De Paz Florentiæ Hæreditatem adit, Leontium & Machiavellum tanquam pestem Reipublicæ Ducatu proscribit.

SCENA III. Leontius Ferinum Custodem Leonum, Machiavellus Latrunculos corrumpit, hi ut Principem venaturum quasi adoriantur, ille ut in Reducem ex venatu, immittat Leonem.

SCENA IV. Principem Venationi intentum Latrunculi circumveniunt, verùm accurrente ex condicto Machiavello dilabuntur.

SCENA V. Reducem ex Venatione Principem Leo invadit; sed â Leontio ad id intento & armato Leo prosternitur, Vita Principis servatur. Quare Machiavellus suo muneri restituitur, Leontio tanquam Servatori Statua poni jubetur, & inscribi: *Satis est prostrâsse Leonem.*

SCENA VI. Leontius aulâ pedem effert, offendit in Calvariam, & ut projectæ audaciæ Comes eam calce protrudit, inter alios Convivas Mensæ suæ adesse jubet, plura ejusmodi discinctus ex Atheorum Schola Discipulus effutit jaculariter.

 Interludium.

Interludium.

CHORUS Primus.

Impietas sui secura ad Mensam indulget Genio, gladiô desuper Cervici impendente, cujusmodi Damoclem Dionysius excepit Convivio, de quo *Tullius Tusculanarum Quæst: L. 3.*

PARS Secunda.

SCENA I. Scalprinus supremam Statuæ Leontii imponit manum, & inscribit *Satis est prostrâsse Leonem;* supervenit Umbra delet *Leonem*, subscribit *Leontium*, spectante id eminus Fidino Leontii Ephebo.

SCENA II. Princeps & Leontius hinc inde veniunt visum Statuam, indignatur ille lapso errore Statuario, sed â Fidino quî factum est; edocetur, Leontius nequidquam consternatus, perinde est ait Leontium, ac etiam prostrâsse Leonem. Hinc

SCENA III. Oritur inter utramq; aulam Contentio, â Principe defenditur, â Leontio Immortalitas animæ impugnatur. Cæterùm seria Controversio in crastinum reijcitur, interea pro Ludis Bachanalibus Princeps â Leontio invitatur.

SCENA IV. Leontius memor offensæ Calvariæ, & atro ab umbra carbone notatus, Machiavello quæ se fata maneant? vestigandum committit.

SCENA V. Expeditus â Leontio de se sollicito Machiavellus Magum adit, cujus operâ tristia signa refert.

Interludium.

CHORUS Secundus.

Funestus variorum Statuum cum morte saltus ad pulsum organi ex ossibus mortuorum compositi; Qui ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.

PARS Tertia.

SCENA I. Tragicô mortis saltantibus immistæ spectaculo in somnis perculsus Leontius Machiavellum inclamat, à quo in varia id phantasmata reijciente, quid verò Responsi â Mago tulerit dissimulante, relevatus, Tempus mensæ Principi nuntiandum mandat, conversatione & commessatione metum excussurus.

SCENA II. Instruitur Mensa, inferuntur longo ordine fercula, vinum domesticum & peregrinum apponitur.

SCENA III. Venit Princeps, consvetæ urbanitatis officiis excipitur. Post hæc ad mensam discumbitur, estur indulgenter, bibitur ex Craniis insolenter, saltatur plausibiliter; Dum fervet ejusmodi convivalis hilaritas.

SCENA IV. Accurrit Fidinus adstare præ foribus quempiam non tam peregrinum hominem, quâm vivum mortis simulacrum nuntiat; Leontius tactus conscientiâ omnibus modis arceri jubet.

SCENA V. Ne quidquam obnitentibus Mediastimis simillima mortis Imago Locum Convivii intrat, adesse se mensæ invitatam narrat, dilabentibus sensim sine sensu Convivis, nudo latere palpitantem, medium complexa Leontium terræ allidit, impiam elidit animam, docens quòd etiam *Mensa* suos patiatur *Manes.*

EPILOGUS.

Religio multos Ecclesiæ Filios, uti hunc Leontium inter mensas perijsse dolet, præsentem (nisi serò velit sapere) Auditorem seriò ad Regias Agni Dapes invitat.

Ad M. DEI Gloriam.